

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

D
... ..
... ..



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Lib 12.

SYNOPSIS HISTORIE CHRISTI
S T I.

ufui puerorum exarata :

Ab

ISAACO GRONBECCIO.
DANO.

1. Tim. 3. 16.

Sine controversia magnum est pietatis mysterium! Deus conspicuus factus est in carne : justificatus est in Spiritu :
conspectus est ab angelis : predicatus est gentibus : fides
illi habita est in mundo : sursum acceptus
est in gloriam.



VITEBERGE,
Ex Officina Cratoniana,
M. D. XCII.



REVERENDIS-
SIMO AC ILLUSTRIS-
SIMO PRINCIPI, DOMINO
HENRICO JULIO, PRESULI
HALBERSTAD. DUCI BRAVN-
svicensi & Luneburgensi:

Religionis, justitię, Musarum,
Propagatori, defensori, favori,
Constantis, fortis, benignis,

hanc

*Historię Sacre Synopsis, humili ac devoto animo
dedicat consecratq̃*

ISAHAC GRONBECCIVS

Danus : Serenis. Regis Danię, in Academiã
Vvitebergensi, alumnus.

VITEBERGE

Ex Officina Cystoniana

MDCXCLII

Isaac Memmius, auctori S.



*Empe quasi in speculum vitas moresq; jubemur
Inspicere, & mores inde parare bonos.
Exemplum aſt Christo non eſt reperirier uſq;vàm
Sanctius. hunc unum nos decet ergo ſequi:
Aſiduisq; animis & dicta & facta tueri
Filius, & certà prendere quaq; fide.
Sed modò nota fides prendit: qui noſcere geſtit,
Nãviter hunc fas eſt condi diſſe prius.
In quo, Gronbecci, ſtudiis juvenilibus ample
Hoc texto ſacra conſulis hiſtoria.
Eſt pia vita nihil niſi commentatio Chriſti,
Vivere quã ſanctè diſcimus, atq; mori.
Ducimur ad mortem lacrumoſo hoc vivere: vita
Fructus non melior, quàm benè poſſe mori.
Mors iter ad vitam eſt: Deus eſt vita ipſa perennis,
Quã verè dabitur poſt pia fata frui:
An minus interea Chriſtum altà mente tuebor,
Quòd per tranſennam cogor, & in ſpeculo?*



A ij

SYNOPSIS



YNOPSIS HISTORIE CHRISTI EST DE Filio Dei mediatore in carne manifestato : ex scriptis Evangelicis & Apostolicis breviter contexta, & ad unum quasi obtutum proposita narratio.

Ejus duę sunt partes: quarum prior est *περὶ τῆς ταπείνωσως* de humilitione aut inanitione: posterior *περὶ τῆς ὑπερψώσως* de exaltatione & glorificatione Christi. Hunc enim statum Christi duplicem humilitionis & glorificationis, nobis inculcat scriptura. Psal. 8. 6. Deficere fecisti eum pavlulum ab Elohim : gloria & honore coronasti eum. 7. Dominari fecisti eum operibus manuum tuarum : omnia posuisti sub pedibus ejus.

joh. 16. 28. Exivi à Patre & veni in mundum: nunc autem relinqvo mundum, & vado ad patrem.

Eph. 4. 10. Qui descendit, ipse est etiam qui ascendit longè supra omnes cęlos : ut impleret omnia.

Philip. 2. 6. Qui cum esset in formâ DEI, non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse se inanivit, formâ servi sumtâ: similis hominibus factus: & habitu compertus ut homo 8. Ipse se submisit: factus obediens usq; ad mortem: mortem autem crucis. 9. Quapropter etiam DEUS ipsum in sumam extulit sublimitatem: ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, &c.

Heb. 1. 3. Qui cum sit splendor glorię, & expressa imago substantię illius : Sustinet atq; omnia verbo suo potente : purgatione peccatorum nostrorum per se facta : consedit ad dexteram majestatis excelsissimę.

Heb. 2. 9. Sed jesum illum cernimus gloriâ & honore coronatum, qui pavisper fuit inferior angelis factus, propter mortis perpersionem : ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret.

Horum testimoniorum auctoritate persuasi, *διχονομίως* veram & legitimam esse pronunciamus.

ταπείνωσις humiliatio, est quâ filius Dei à throno majestatis se demittens; & humane carnis ejusq; affectionum omnium excepto peccato, consors factus; peregit & sustinuit omnia illa : quę ad placandum DEUM iratum, & λύτρον pro redimendo genere humano solvendum, ex æterno æterni patris decreto peragenda & sustinenda fuerunt. Esai. 53. 9. Actor. 4. 28. 1. Pet. 1. 20. Hebre. 7. 26. & 4. 15. Apocalypsis 13. 8.


Humiliationis actus duplex est, occultę & apertę humiliationis.

Occultam humiliationem seu inanitionem eam voco : quę non solum ab oculis hominum; verum etiam à rationis humane captu remotior, intra ipsam virginem *θεοτόκον*, supernaturali quodam & divino planè modo, peracta est, Luc. 1. 34. 35. Matth. 1. 18. Complectitur autem historiam conceptionis Christi.

Conceptio est, quâ persona filii DEI, naturam humanam verè & essentialiter in utero Marię virginis adsumsit, & ad hypostaseos divinę dignitatem evexit : manentibus distinctis citra ullam confusionem aut separationem, cum ipsis naturis; tum naturarum proprietatibus : quibus id sunt, quod sunt. joh. 1. 14. Luc. 1. 35.

Conceptionis *παρουσίαν* est annunciatio : quę est revelatio future incarnationis & conceptionis Christi.

*Phil. 110
De formâ
in viâ
An exaltatione
Capit.*



Atq; hic


STORIE CHRISTI.

Atq; hic occulte inanitionis actus.

Aperta inanitio est, quæ à momento natiuitatis Christi incoata, per totam vitam in terris continuata; in ipsâ tandem resurrectionis horâ desinit.

Ejus quoq; duplex est actus, prior natiuitatis: posterior vitæ reliquæ historiam continet.

Natiuitas, est Christi DEI & hominis, completo legitimo & reliquis hominibus communi partus tempore, ex alvo Mariæ Θεοτόκου, in hanc lucem, visibilis, sine peccati labe exitus.



Adhuc aperte inanitionis prior actus.

Historia reliquæ vitæ Christi alterum actum inanitionis aperte constituit: quo totius vitæ & ætatis Christi jam in lucem editi, curriculum depictum proponitur.


Vitæ & ætatis partes sunt, νεότης καὶ ἀκμὴ. Nam τὸ ἡμέρας (quod de sententiâ Aristotelis, circa quinquagesimum incipit ætatis annum) saluator noster in terris non attigit.

τῆς νεότητος partes sunt infantia & pueritia: tertiam, adolescentiam nimirum (quod ejus historia ab Evangelistis non sit adnotata) consulto prætermittimus.

In infantia, quæ ad quartum, vel ut nonnulli volunt, septimum porrigitur ætatis annum ἡ ἐμφαντίας occurrunt considerandæ, & ἡ ἐμφαντίας ἐπιρροαί.


ἡ ἐμφαντίας sunt ritus ecclesiastici sacri, à DEO in Ecclesiâ judaicâ instituti: quorum pars etiam ad recens natos masculos pertinebat. Horum rituum, ad obedientiam patri celesti debitam declarandam, quamvis peccati expers, consors tamen Christus infans esse voluit. Gal. 4. 4.

SYNOPSIS HI




Ejusmodi ιεσφαντικων.

ΤΑ τῆς ιεσφαντικων ἐπιμυθια sunt adventus Magorum, & exsilium Christi.




Hoc prius τῆς ιεσφαντικων ἐπιμυθια.




STORIÆ CHRISTI.
Tantum de historiâ infantie
Christi.

Alteram τῆς νεότητος etatem facimus pueritiam: quam definiunt septem annorum spacio: à septimo nimirum anno, ad decimumquartum, qui est annus pubertatis.



STORIE CHRISTI,



Adhuc parasceves ministerii Christi prius membrum.

Proxima sunt τὰ ἀμειβόμενα: que nimirum cum initio ministerii conjuncta fuerunt. Quod pertinet Apostolorum ad ministerium docendi vocatio. Horum alii primarii, alii secundarii fuere.

Primarii, quibus initio ministerii Christi electis, peculiare mandatum, ad propagandum, & signis confirmandum Evangelium regni Dei, ab ipso Christo datum fuit. Matt. 28. 19. Mar. 16. 15. Joh. 17. 18. & 20. 21. Act. 1. 8.

Primariorum, alii constantes & γήσοι: alii inconstantes & apostate.

Constantium & γήσιων, alii Christo familiares magis, alii minus.

Magis Christo familiares fuere, quos in intimam amicitie sue consuetudinem recipere dignatus fuit. Matt. 17. 1. Mar. 9. 2. Luc. 9. 28. & 8. 51. quorum hec nomina.

Petrus Bethsaitanus, piscator: vocatus ad mare Galilee. Matt. 4. 18. Mar. 1. 16.

Johannes

filius Zebedei, piscator: exiguo interjecto loci & temporis a vocatione Petri intervallo, vocati. Matt. 1. 21.

Minus

Minus familiares, qui licet non inferiores ceteris auctoritate & docendi facultate fuerint. 2. Cor. 11. 5. Luc. 22. 26. Matt. 18. 4. Joh. 13. 14 tamen, ad privatę consuetudinis fructum capiendum, à Christo non fuerunt admissi: quorum sequuntur nomina.

Andreas Bethsaitanus, piscator, frater Petri. Matt. 4. 18. Mar. 1. 16.

Mattheus publicanus. Joh. 1. 44. Vocationis horum omnium, mentio fit specialis, locis citatis.

Thomas didymus appellatus.

Jacobus minor.

Simon Chananites.

Bartholomeus.

Judas Thadęus. Nulla de horum vocatione specialis fit apud Evangelistas mentio.

Ceteris tamen connumerantur. Matt. 10. 2. 3. 4. Mar. 3. 25. Luc. 9. 1.

Ministerii horum finis & effecta bona fuere. Finis consistit *ἐν τῷ ἀκροθεῖν Χριστῷ*. Matt. 4. 19.

Effecta. 1. Generalis Evangelii promulgatio. 2. doctrine per signa (curationes morborum, & ejectiones demoniorum Luc. 9. 1. 2.) confirmatio.

Apostata Judas Ischariot; qui postea Dominum prodidit Matt. 10. 4. Mar. 3. 26. Luc. 9. 1. cujus ministerii finis malus, effectum pessimum.

Finis quidem τὸ τῆς λέγου καὶ πηλεύειν: ex predicatione Evangelii sordidum pecunie aucupium facere. Joh. 12. 6.

Effectum, Magistri proditio. Matt. 10. 4. & 26. 48. Marc. 14. 44. &c. 2. ἀποκτοία. Matt. 27. 5.

Atque hi Apostoli & σωεργοὶ primarii.

Secundarios voco, qui postea quidem ad docendum Evangelium ἀμέσως à Christo vocati: sed à cottidiano convictu penè alieni: & Apostolis duodecim inferiores fuerunt. Quo circa & Ambros. Ser. 24. secundo ab Apostolis gradu directos ait: & Hieron. Epistolâ ad Fabiolam, minoris ordinis præceptores fuisse adserit. hos septuaginta fuisse constat ex Lucę 10. 1.

Ministerii finis & effecta eadem: quę & τῶν γνησίων.

Fuit adhuc τῶν κυρίων παροσκλή.

Forma seu constitutio ministerii duabus rebus potissimum absolvitur: doctrinâ & doctrine adjunctis. Alterum quid docuerit: alterum quid fecerit Christus in ministerio perhibet. Ad quę duo capita, quidquid de munere ipsius docendi tradidere Evangelici scriptores, referri merito potest & debet. Et Lucas Act. 1. 1. utrumque caput, vocabulis διδάσκειν καὶ ποιεῖν complexus est.

Doctrina fuit publica & privata.

Publica, quę ad omnes generaliter spectabat: quęquę omnibus quocunquę loco & tempore, ex ore Christi innotuit: in urbibus, oppidis, desertis, mari.

Ejus duo membra fuere 1. interpretatio legis, ejusquę à Pharisaico fermento corruptę, ad pristinum nitorem & legitimum usum, restitutio. Matt. 5. 2. &c. usquę ad initium cap. 8. 11. Evangelii promulgatio. cujus summam unico versu complexus est Marcus 1. 15. Impletum est tempus, & appropinquat regnum DEI, respiscite igitur & credite Evangelio. Est enim Evangelium nihil aliud nisi predicationis *τῆς μετανόιας*.

Privata, quę ad discipulos privatos, à conspectu vulgi abductos, directa fuit. qualis est contio illa ad discipulos, antequam predicatum Evangelium mitterentur, habita. Matt. 10. Luc. 9. & 10. & alibi.

Hęc de doctrina.


Adjuncta vocamus, quę ad Evangelii confirmationem & certitudinem majorem: ejusquę in varias regiones disseminationem incoandam accesserunt. Sunt autem signa & Christi *ὁδοιπορία*.

Signa sunt adjuncta doctrine Evangelii divinitus ordinata: ut sint *σημεῖα* certitudinis doctrine: & *σφραγίδες* earum rerum, quę in Evangelio annunciantur & promittuntur. Marc. 16. 20. Joh. 10. 37. 38. Rom. 8. 11. Suntquę ordinaria & extraordinaria.

Ordinaria, ἡ πολυχρόνια, quę ordinata sunt: ut verbo conjuncta sint perpetuò, usquę dum redeat Christus judicatum vivos & mortuos. 1. Cor. 11. 26.


Ordinar


STORIE CHRISTI.



Atq; hæc signa ordinaria.

EXtraordinaria, ἢ ὀλιγοχρόνια, sunt que diversis temporibus & locis ad illustrandam gloriam DEI, & confirmandam doctrine certitudinem à Christo edita fuerunt, quorum usus, quia, patefacta jam per universum orbem Evangelii veritate, in Ecclesiâ esse desuit: ob id à nobis ὀλιγοχρόνια appellata sunt. joh. 2. 11. & 20. 31. Mar. 16. 20. Miracula vocamus: quod homines in admirationem adducant. Ea pro diversitate subjectorum inter se differunt.





AD hanc miraculorum distributionem, omnia miracula Christi, quorum meminerunt Evangelistæ, referri posse non est dubium. Nec nescius sum ab eruditissimis aliter distribui: ubi de miraculis generalis tractatio instituitur. Equo tamen lectori ad historię lucem pleniorē hanc partitione satisfactum esse mihi persuadeo.

Fuitq; hoc primum ministerii Christi adjunctum.

Omnino est Christi ab uno loco in alium ad latē disseminandum Evangelium regni, suscepta profectio. Acti. 10. 38. Ea duplex fuit: ordinaria & extraordinaria.

Ordinaria, quæ in judæâ primum & Galilæa suscepta fuit. Ob id enim præcipuè se missum fatebatur Christus: ut ovibus perditis de domo Israel se totum impenderet. Matt. 15. 24. Et discipulis inquit: in viam gentium ne abieritis: & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini: sed proficiscamini potius ad perditas oves domus Israel. Matt. 10. 5. 6. Quocirca etiam à Paulo minister circumcisionis, pro DEI veritate, ad confirmandas promissiones patrum, vocatur. Rom. 15. 8.

Extraordinariam voco, quâ se per intervalla gentibus patefecit. Nec enim ut peculiariter se ipsis addiceret, temporis ratio ferebat: eò quòd velum ante mortem scissum non fuit: nec maceria diruta; ut pacem annunciarer gentibus à regno DEI alienis. Eph. 2. 14. 15. Ne autem existimarent ipsius *σωτήριος* & Apostoli, ad solos judæos, hæc Christi beneficia spectasse: nonnunquam gentibus sui copiam facere voluit; ut præludia quædam daret communis gratiæ: quæ promiscuè gentibus & judæis post resurrectionem offerenda esset: Matt. 15. 21, Mar. 7. 24, johan. 4. 3, 4, 5.

Ejusmodi alterum adjunctum.

Quia vero involuta nimis videtur historia *της ὁδοιπορίας*; ut singula itinera ad divisionis leges facillè revocari non possint: Visum fuit ex Harmoniâ Evangelicâ, ordinem omnium profectio-
num Christi brevibus quibusdam verborum notis, in gratiam puerorum subtexere. Cuius lectione, etiam sine molestiâ hoc adsequitur; ut quæ miracula singulis locis, quòd profectus fuerat, ediderit Christus, perspicuè, & (quod spero) sine errore cognoscant.

I. JESUS

STORIÆ CHRISTI,

- I. JESUS anno ætatis tricesimo ferè emenso, accedit à Nazareth Galileæ ad jordanem: ut à johanne baptizetur. Matt. 3. 13. Mar. 1. 9. Luc. 3. 23.
- II. Baptizatus subducitur in desertum. Matt. 4. 1. Marc. 1. 12. Luc. 4. 1.
- III. Tentatione 40 dierum peractâ, revertitur Spiritus virtute in Galileam. Matt. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 14.
- IV. Canam venit: ubi aquam, honori nuptiarum favens, in vinum vertit. Joh. 2. 1. 9.
- V. Descendit Capernaum. Joh. 2. 12.
- VI. Ascendit jerusolymam paschalia celebraturus. eiecit è templo ementes & vendentes. Pascha 1. *ὁ δὲ τῆς πᾶσης ἡμετέρας* Nicodemum instruit. Joh. 2. 20. & 3. 1.
- VII. Migrat in judæam: moratur ibi baptizans: joanne interim in parte judee quæ vicina fuit oppido Enon, in tribu Manasse: baptismum administrante. Joh. 3. 22.
- VIII. Pergit à judæa in Galileam. Joh. 4. 3.
- IX. Per Samariam iter facit. Joh. 4. 4.
- X. Appulit ad oppidum Samariæ Sichar: & juxta fontem jacob colloquium instituit cum Samaritanâ, de aquâ vitæ. Joh. 4. 6. 7.
- XI. Apud Samaritanos biduo transacto redit in Galileam Joh. 4. 43.
- XII. Avdiens johannem traditum, Nazareth redit. ubi propter locum, Esaiæ 61. 1. contra judæorum mentem interpretatum, urbe eiecitur. è manibus tamen hostium precipitem eum dare violentium, elabitur. Matt. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 16. &c.
- XIII. Canam Galileæ redit. Joh. 4. 46.
- Paulò post puerum reguli Capernaitani morti vicinum, absens verbo sanat. Joh. 4. 46.
- XIV. Relictâ demùm Nazareth, Capernai habitare constituit. Matt. 4. 13.
- XV. Ad mare Galileæ ambulans, vocat Petrum, Andream, jacobum, johannem.
- XVI. Matt. 4. 18. Mar. 1. 16. Docet Sabbathis in Synagogâ Capernai. Mar. 1. 21. Sanat in Synagogâ hominem obnoxium immundo Spiritui. Mar. 1. 23. Luc. 4. 33. E Synagogâ egressus divertit in domum Simonis & Andreæ, cum jacobo & johanne: ubi socrum Simonis à febre liberat. Mar. 1. 29. Luc. 4. 38. sub vesperam sanavit multos variis morbis affectos. Mar. 1. 34. Luc. 4. 40.
- XVII. Postero die, multâ adhuc nocte, in desertum locum oraturus secessit: sequente turbâ, quæ ipsum detinere cupiebat. Mar. 1. 35. Luc. 4. 42.
- XVIII. Docet & sanat in Synagogis vicinorum oppidorum. Mar. 1. 38. Luc. 4. 43.
- XIX. Ad ripam stagni Genezareth, è navicula Petri docet turbam. Luc. 5. 1. ubi piscatura Petri, concione finitâ, instituitur ad mandatum Christi. Luc. 5. 4.
- XX. Propter multitudinem auditorum: quæ ex pluribus regionibus ad eum avdiendum confluerant concionaturus montem conscendit: ubi de fine Theologiæ (de vera beatitudine,) & plerisque Decalogi præceptis, reliquisq; doctrinæ Christianæ capitibus proluxa instituitur declamatio. Matt. Cap. 5. 6. & 7. Descendens de monte, curat leprosum, Matt. 8. 1.
- XXI. In desertis locis vagatur, docens & orans. Mar. 1. 45. Luc. 5. 16.
- XXII. Reversus Capernaum, curat paralyticum. Matt. 9. 1. Mar. 2. 1. Luc. 5. 18.
- XXIII. Egressus ad mare docet turbam, & vocat Mattheum: à quo ad prandium vocatus, reprehenditur à Phariseis: quibus familiaris suæ cum publicanis conversationis causam exponit. Matt. 9. 9. Mar. 2. 13. Luc. 5. 27. Sabbatho *δευτεροπέμπτη* per segetes transiens, discipulos spicas vellentes excusat. Matt. 12. 1. Mar. 2. 22. Luc. 6. 1. Alio Sabbatho in Synagogâ sanat manum aridam habentem. Matt. 12. 10. Mar. 3. 1. Luc. 6. 6.
- XXIV. Jesus cum discipulis secessit ad mare: sequente ingenti hominum colluvie, à Galileâ, jerusolymis, Idumæa, transjordanem, circa Tyrum & Sydonem. Mar. 3. 8. ubi propter turbam, discipulis ut navem parent mandat. Mar. 3. 9.
- Ascendit in montem oraturus. Manè convocat discipulos duodecim: quibus dona sanationis concedit. quos fiducia munitos in Deum contra omnia pericula, mittit ad prædicandum Evangelium. Matt. Cap. 10. Mar. 3. 13. Luc. 6. 12. Descendens vero de monte, in loco campestris docet secundùm de beatitudine, maledictione. &c. Luc. 6. 17.
- XXV. Ingressus Capernaum: centurionis famulum sanat verbo. Luc. 7. 1.
- XXVI. Pergit Nain die sequenti: & viduæ filium ad vitam revocat. Luc. 7. 11.
- Discipulis à johanne missis, presentibus, multos sanavit à morbis & spiritibus malis. Luc. 7. 18.

B

Ad pran-

SYNOPSIS HI-

- Ad prandium à Simone Phariseo invitatus, à peccatrice ungitur. Luc. 7. 36.
- XXVII. Iter faciens per singulas urbes, predicat regnum DEI, Luc. 8. 1.
- XXVIII. Redeuntibus illis domum : à propinquis, credentibus eum in furorem versum, observatur. Mar. 3. 19. 21.
- XXIX. Ad festum diem celebrandum, ascendit Ierusalem : ubi sanatur ad probaticam piscinam decumbens. egrè id ferentibus, judæis, prolixâ apologiâ resistit. Jo. 5. c.
- XXX. Iterum cepit docere juxta mare : navim ingreditur : docetq; populum parabolam de semine. Mar. 4. 1. Luc. 8. 4.
- XXXI. Transit in ulteriorem ripam, in transitu tempestatem ortam verbo sedat. Matt. 8. 18. 24. Mar. 4. 35. Luc. 8. 32. In ulteriori ripâ regionis Gergezenorum, Dæmoniacum à legione liberat : ubi & porci suffocantur immixtis dæmoniis. Matt. 8. 28. 32. Marci 5. 1. 11. Luc. 8. 20. 23.
- XXXII. Redit conscensâ navim : excipitur à turbâ : compellatur à jairo : antequam Capernaum ingrediatur sanatur *αἰμοὶ πόρου* ad tactum vestimenti ipsius. in oppido filiam jairi mortuam vite restituit. Matt. 9. 18. Mar. 5. 21. &c. Luc. 8. 40. &c.
- XXXIII. Discedens illinc, duobus cecis visum reddit, & dæmoniacum mutum liberat. Matt. 9. 27.
- XXXIV. Circumit civitates omnes, predicans Evangelium regni & sanans. Matt. 9. 35.
- XXXV. Venit in patriam, docetq; Sabbatho in Scholâ cum admiratione. Matt. 13. 54. Mar. 6. 1.
- Accersit duodecim, mittensq; eos binos, preceptat da evangelizantibus peregrè. Mar. 6. 7. Luc. 9. 1. Discipuli egressi predicant : dæmonia ejiciunt. oleo egros unguunt & sanant. Mar. 6. 12. Luc. 9. 6. redeunt ad Christum. Mar. 6. 30. Luc. 9. 10.
- XXXVI. Venit navigio trans mare Tyberiadis, in deserta loca Bethsaidæ, comitante turbâ. Matt. 14. 13. Mar. 6. 32. Luc. 9. 10. Joh. 6. 1. satiat quinque millia virorum quinque panibus. Matt. 14. 20. 21. Mar. 6. 41. Joh. 6. 10.
- XXXVII. Discipulis navim conscendentibus, ipse abit in montem, oraturus. Matt. 14. 22. Mar. 6. 45. Joh. 6. 16. Sub quartam vigiliam noctis : ipsis adversâ navigatione utentibus super mare ambulans, appropinquat. Matt. 14. 25. Mar. 6. 48. Joh. 6. 19.
- Absoluto itinere marino, venit in terram Genezareth. ubi ad tactum vestimenti ipsius sanantur infirmi. Matt. 14. 34. 36. Mar. 6. 53. 56. Docet Capernaitanos de pane vite, trans mare. Joh. 6. 26.
- XXXVIII. Versatur in Galileâ : quod judei quesierint eum interficere. Joh. 7. 1.
- Pascha. III.
- XXXIX. Digressus illinc peregrè in partes Tyri & Sydonis proficiscitur. ubi filiam Syrophenissæ à Dæmonio liberat. Matt. 15. 21. Mar. 7. 24.
- XL. Egressus de finibus Tyri & Sydonis, venit ad mare Galilee, per medios fines decapoleos : ubi curat surdum & mutum. Matt. 15. 29. Mar. 7. 31. Conscenso monte, curat variis morbis & caladibus obnoxios. Matt. 15. 19. Saturat ibidem septem panibus & pascis pisciculis quatuor millia hominum. Matt. 15. 32. Mar. 8. 1.
- XLI. Profectus est navigio in fines Magdala, vel Dalmanutha. Matt. 15. 39. Mar. 8. 10.
- XLII. Venit Bethsaidam : & cæco visum restituit. Mar. 8. 22.
- XLIII. Proficiscitur in partes Cesareæ Philippi. Matt. 16. 13. Mar. 8. 27. Luc. 9. 18. Post dies sex transfiguratur in monte : spectantibus Petro, Jacobo & Joanne. Matt. 17. 1. Mar. 9. 2. Luc. 9. 28.
- XLIV. Descendens à monte, rediensq; ad turbas, curat lunaticum. Matt. 17. 14. Mar. 9. 17. Luc. 9. 37. 38.
- XLV. Iter faciens in Galileâ : docet discipulos de passione & morte suâ. Matt. 17. 22. Mar. 9. 30. Luc. 9. 22.
- XLVI. Venit Capernaum. Solvit didrachma. Matt. 17. 24.
- XLVII. Migrat è Galileâ in fines judee trans jordanem : turbamq; concomitantem sanat. Matt. 19. 1. 2. Matt. 10. 1.
- In itinere hospitio excipitur à Marthâ & Mariâ Luc. 10. 38.
- XLVIII. Festum *της σκηνοπηγίας* celebrat Ierusalimis. Joh. 7. 10. Festo dimidio ascendit in templum & docet. Joh. 7. 14.
- XLIX. Pergit in montem olivarum. Joh. 8. 1.
- Diluculo iterum venit in templum, mulieri adulteræ condonat peccata : post prolixâ cum

STORIE CHRISTI,

- cum judæis disceptationem, occultat se & exit è templo, ne à judæis lapidibus obruatur. Joh. 8. Cap.
- L. Preteriens, cecum à nativitate, sabbatho sanat. Joh. 9. 1. Ejicit demonium mutum, Luc. 11. 14. Sabbatho in unâ Synagogarum docens, mulierem incurvatam sanitati restituit. Luc. 13. 10.
- L I. Ibat per civitates & castella docens, & iter faciens jerusolymam. Luc. 13. 22. Festo Enceniorum ambulat in templo in porticu Salomonis. Joh. 10. 22.
- L II. Questus à judæis elabatur, & trans jordanem juxta Bethabaram migrat. Joh. 10. 39. In domo Pharisei cujusdam sabbatho sanat hydropicum. Luc. 14. 1.
- L III. Jerusolymam iter parat: transiens per mediam Samariam & Galileam: in vico quosdam Samarie sanat decem leprosos. Luc. 17. 11.
- Impositione manuum infantibus benedicit. Matt. 19. 13. Mar. 10. 13. Luc. 18. 15.
- Nunciatur Christo de invaletudine Lazari ut autem audivit quod egrotaret, mansit duos dies in loco ubi erat: postea in judæam se iturum discipulis significat. Joh. 11. 3. 6.
- L IV. Ascendit jerusolymam assumens discipulos: quibus passionem & mortem predicat. Matt. 20. 17. Mar. 10. 32. Luc. 18. 31. Non procul à jericho cecus juxta viam sedens, sanatur. Luc. 18. 35. Ingressus jericho divertit ad Zachæum. Luc. 9. 5. urbe egrediens Barthimæo visum restituit.
- L V. Venit Bethaniam, & Lazarum 4. diem in monumento agentem, excitat Joh. 11. 17.
- L VI. Suscitato Lazaro, in regionem propè desertum proficiscitur, in civitatem Ephraim. Joh. 11. 54.
- L VII. Sexto die ante Pascha, redit Bethaniam: excipitur à Lazaro & Martha: & ungitur à Maria. Joh. 12. 1.
- L VIII. Sequenti die venit Bethphage ad montem olivarum. vehitur asinâ in urbem: publico populi applausu excipitur. Matt. 21. 1. Mar. 11. 1. Luc. 19. 29. Joh. 12. 12. Ingressus templum, ejicit contrahentes: claudosq; & cecos sanat. Matt. 21. 12. Mar. 11. 11. Luc. 19. 45.
- L IX. Sub vesperam egreditur Bethaniam. Matt. 21. 17. Mar. 11. 11.
- L X. Manè in urbem rediturus, in viâ efuriens, ficui maledicit. Matt. 21. 18. Mar. 12. 13.
- L IX. In urbe versatur usq; ad vesperam, quâ adveniente, rursus egreditur. Mar. 11. 15. 19.
- L XII. Postero die pretereuntes: vident ficum exaruisse. Mar. 11. 20.
- Venit rursus jerusolymam, & ambulat in templo. Matt. 21. 27. Mar. 11. 27. Luc. 20. 1.
- L XIII. Exeunti è templo monstratur templi structura: quo facto pergit in montem olivarum: ubi vaticinium de excidio jerusolymitano & extremis temporibus edit. Matt. 24. 1. 3. Mar. 13. 1. Luc. 21. 5.
- L XIII. Redit Bethaniam. in edibus Simonis Leprosi ungitur. Matt. 26. 6. Mar. 14. 3.
- L XV. Primo die azymorum Petrum & johannem mittit ad parandum Pascha. Matt. 26. 17. Pascha IV. Mar. 14. 12. Luc. 22. 7. Sub vesperam adcumbit cum discipulis. Matt. 26. 20. Mar. 14. 17. Luc. 22. 14.
- Cenâ factâ, depositis vestibus, lavat pedes discipulorum. Joh. 13. 4. Sumtis vestibus contionatur discipulis. Joh. 13. 12. ad finem 18. capituli.
- L XVI. Finitâ contione, egreditur cum discipulis, trans torrentem Cedron: advillam Gethsemane: non procul à monte olivarum. Matt. 26. 30. Mar. 14. 26. Luc. 22. 39. Joh. 18. 1.

Hactenus prior pars Historie

της ἀκμῆς.


Παθήματα constituunt alteram historie της ἀκμῆς partem. hâc quæ circa vite finem acciderunt, describuntur.

Hujus partis actus constituuntur duo: unus παρασκευαστικῶς: alter πραγμάτων.

παρασκευαστικῶς preparationem ad παθήματα habet.

B ij πηθη


STORIE CHRISTI.



Talis fuit actus ἡγούμην.


Actus ἡγούμην status & exitum τῶν πύθμετων exponit. Eijus itaq; partes facimus
κατάστασι καὶ κατὰ σφῶν.
κατάστασι est quā τὰ θημάτων in horto incoatorum status & vigor notatur. Com-
memorat autem exanina, & condemnationem Christi.

Examen fuit Ecclesiasticum & Politicum.
Ecclesiasticum quod à Pontificibus & Scribis in edib. summi Pontificis Cajaphæ in-
stitutum fuit. Matt. 26. 57. Mar. 14. 53. Luc. 22. 54. Joh. 18. 13. Eijus consideranda sunt
forma & adjuncta.




SYNOPSIS HI

Atq; hæc forma examinis Ecclesiastici.



Adhuc Ecclesiasticum examen.


EXamen politicum: quod in pretorio coram preside Pilato, & in Herodis aula peractum fuit. Hujus quoq; videnda sunt forma & adjuncta.



Atq; hæc forma examinis politici,

Adjuncta

STORIE CHRISTI,




Adhuc καταστάσις.

Καταστάσις est quæ finis seu exitus passionis continetur: versatur autem in expositione eorum: quæ circa mortem Christi acta fuere.


In hac parte considerentur ἡγέμενα mortis, & mors.

ἡγέμενα sunt educio Christi extra urbem & τὰ ῥωσά.




Ejusmodi fuit prius ἡγέμενον

SYNOPSIS HI




Atq; hæc ἡγέμεθα mortis fuere.

Mors, est *παθημάτων* ultimum: quo animæ Christi facta est à corpore separatio. Mortem Christi probant testimonia & signa.



STORIE CHRISTI,

Hec mortis testimonia,



Atq; hæc hactenus historia τῆς ταπείνωσως Christi.


Υπερψώσις est altera pars historie: quâ Christum, superatis perpeccionibus & afflictionibus, absorptâ mortalitate omnibusq; vitæ infirmitatibus semel depositis: eterne & nunquam intermouituræ gloriæ summæq; majestatis & potentiæ factum esse consortem piæ & religiosè docemur. *Act. 2. 24. Rom. 6. 9. 1. Cor. 15. 53. Phil. 2. 9. 10. 11. Heb. 1. 3. & 2. 14.*

Υπερψώσις actus duo sunt: prior incoate: posterior perfectæ exaltationis & glorificationis.

Incoatæ glorificationis sunt, resurrectio & ascensio.

Resurrectio, est Christi à mortuis divinâ potentiâ exsuscitatio. *Act. 2. 32. & 10. 40. Rom. 10. 9. & 6. 9. 1. Cor. 15. 4. & c.*

Resurrectionis probatio est ab adjunctis & testimoniis.



maribus

TORTE CHRISTI.

hic a us in coatē glorificationis.
 nis est reditus Christi
 ilis & corporalis ejus ad iudican
 m maije potestate

notuos,
 30. Mar. 13.

Act. 11. Matt. 26. 64. Luc. 21. 27.

maiestatem }
 Potestatem. }
 Matt. 26. 31.
 Luc. 21. 27.

In re
 Christi in
 storia sunt

ipsi Christi: }
 victoria super hostes · precedente eorum proletheia.
 Ps. 110. 1. 1. Cor. 15. 24
 regni resignatio Deo & patri; cui conjuncta est abolitio om
 nis potestatis & virtutis 1. Cor. 15. 24

comunia }
 bonis & }
 malis. }
 congregatio omnium ante tribunal Chri
 sti. Matt. 25. 32 & 24. 31. 1. Thess. 4. 17.
 Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. Apoc. 20. 12.
 separatio bonorum a reprobis. & contra.
 Matt. 21. 32.

in
 respectu

hominum

abolitio }
 futura }
 calami a'um aliarum.
 Apoc. 21. 4.

eccle- }
 si- }
 pro }
 pria }
 repro }
 boru. }
 introductio in vitam eternam.
 Matt. 25. 46.
 peculiare Antichristi, per Spiritum
 oris Christi abolitio. 2. Thess.
 2. 8.
 commune: in ignem eternum rei-
 jectio. Matt. 25. 32. Ap. 19. 20.

liorum

reliquarū crea- }
 turarum: }
 Vindicatio à servitute corruptionis: in libera-
 tatem glorię filiorum Dei. Rom. 8. 21.
 Celi & terre revocatio: Esaię 65. 17. 2.
 Pet. 3. 13. Apoc. 21. 1.

Atq; hæcenus Synopsis hystorię Christi.



Fol 37 46
2°

ULB Halle
004 760 522

3



m.c.



Handwritten musical notation on aged, stained paper. The page features several staves with black ink notes and red ink markings. A large blue initial 'A' is visible at the bottom left. The text is written in a Gothic script, likely Latin, and is heavily obscured by ink bleed-through from the reverse side of the page. A vertical red line is present on the left side of the page.



SYNOPSIS HISTORIE CHRISTI

usui puerorum exarata :

Ab
ISAACO GRONBECCIO.
DANO.

1. Tim. 3. 16.

Sine controversia magnum est pietatis mysterium! Deus conspicuus factus est in carne : justificatus est in Spiritu :
conspectus est ab angelis : predicatus est gentibus : fides
illi habita est in mundo : sursum acceptus est in gloriam.



VITEBERGE,
Ex Officina Cratoniana,
M. D. XCII.

